

rum optimarum scientia, vt animi emendentur ad
 omnis honestatis amorem. Disciplinae vero bonae
 ratio, qua ipsi nostis, Auditores, contineri summam
 salutemque omnem Scholarum, quantam prudentiam
 postulat, quantam diligentiam, circumspectionem,
 vigilantiam; quantam fortitudinem et seueritatem
 lenitate et humanitate temperatam; vt discipuli vir-
 tutis doctrinaeque venustatem ament et sequantur,
 inscitiae vitiorumque deformitatem fugiant et ode-
 rint, idque sponte atque vltro faciant! Hi caeterique
 numeri muneris, hae partes, Rectoris Scholastici sunt
 sane tales ac tantae, vt nemo facile reperiri videatur,
 qui eas bene agere valeat, nisi diuino in primis au-
 xilio, diuina ope, adiuuetur; nisi etiam Collegarum
 beniuolentia, amore, consiliis, opera, sustineatur;
 nisi discipulorum modestia verecunda et pudore, di-
 scendique cupiditate liberali, subleuetur. Sed hae
 ipsae partes si bene et recte, si docte et scienter,
 agantur, dici non potest, Auditores, quantum ea
 res rationes nostras, quantum iuuentutis, non vnus,
 sed multarum aetatum, salutem, quantum omnium
 ciuitatis ordinum res, quantum vniuersae patriae et
 religionis summam, iuuet, firmet, augeat, amplifi-
 cet. Ornat nos non modo viuos vehementer et
 praecipue, verum nec mortuos vnquam mori vlllo
 modo patitur. Itaque ego vel tantulum dubitem,
 quin summo sim incredibilique beneficio, Senatus
 Amplissimi auctoritate, affectus et auctus?

Ad te igitur nunc supplex conuerto orationem
 precesque, benignissime deus, moderator rerum
 humanarum sapientissime. Scio enim expertus mul-
 tis modis, sine te, sine tuo auxilio et numine,
 omnes hominum spes vanas inanesque esse, omnes
 eorum labores, omnes curas, fructu omni carere,
 omnem